DE MORALIBUS MEDICI OFFICIIS DISSERTATIO QUAM PRO LAUREA MEDICA...

Jacobus Mingoni

11

DE

MORALIBUS MEDICI OFFICIIS

Dissertatio

QUAM

PRO LAUREA MEDICA OBTINENDA

in Universitate Patavina

LEGEBAT

JACOBUS MINGONI

PATAVINUS

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1841

2 0 6

PARENTIBUS OPTIMIS

GRATISSIMUS FILIUS

Caste et sancte vitam et artem meam conservabo.

Legenti mihi jusjurandum quod Hippocrates ab illis omnibus reposcebat, qui ad artem medicam exercendam se se applicabant, nihil sane clarius apparet hujus artis sublimitate, cujus officia maximi sunt momenti inter homines; nec possum quin terrear gravissima meditans medicorum munera, rationemque reddendam.

Quanto in errore ille versaretur, qui laurea et doctoris nomine donatus, hoc tantum publici honoris gradu contentus esset, quin quid sibi, quid aliis praecipue debeat, cogitaret; quin virtutem diligeret, et se omni tempore promptum redderet ad labores periculaque subeunda, spretis quibuscumque commodis vitae atque solatiis.

Et sane dummodo paullisper medicum consideremus, possumus quidem illud nobis facillime persuadere nullum aliud esse vitae genus, quod magis variata, ardua et rigida hominibus officia praescribat, magnumque hoc ministerium omnes optimas animi mentisque requirere facultates, nulla excepta; talem uno verbo esse medicum praestantiamque officii sui, ut semper vita, saepissime honor hominum eidem credantur.

Quod si medicus non omni probitate, morumque innocentia excelleret, nisi et conscientia et factis id praestaret, possetne tantae fiduciae satisfacere, res tam

periculosas plenasque prudentiae atque consilii recte tueri ac perficere? possetne a summo officiorum suorum onere se se tuto animo expedire? Haec nimirum officia ea sunt, ex quibus medici honor et dignitas constat, quae moralem ipsius vitam omnino constituunt.

Illud vero primum omnium et pernecessarium medico est, ut scientia clarescat. Quum enim illius ars eo maxime spectet, ut valetudinem servet, atque morborum vim effringat, nulla potest dari venia ignorantiae, cum de hominum vita agatur.

Verum cum ego vix scholarum curriculum absolverim, vix nonnulla scientiae volumina aperuerim, vix prima noverim artis mysteria, quae vestra humanitas atque sapientia, Professores clarissimi, mihi patefecere, erubescerem profecto si vellem verba facere de medici scientia, atque illa omnia enumerare quae illi discenda et cognoscenda sunt. Quapropter magis idoneum reputavi dicere aliquid de morum officiis, quae ad medicum pertinent; si enim ad nominis amplitudinem obtinendam, doctrinaeque famam sibi comparandam maximo opus est ingenii splendore et vi, assiduo studiorum cultu et labore, diviti rerum difficillimarum cognitione et copia, quae dotes non eodem gradu omnibus esse possunt; at certe illarum virtutum officiorumque exercitatio, quae medicum decent, a quocumque summo jure reposcitur: virtutes sane et officia, quibus praestandis nulli certe tam frequens, quam medico, datur occasio.

Expleto studiorum cursu, experientia atque consilio praeceptorum non amplius fretus, ad exercendam impulsus scientiam, in qua non satis adhuc firma ve-

stigia posuit, amplissima rei agendae potestate donatus, qua fortasse invitus cum summo hominum damno potest abuti, quantis circumdatur recens medicus periculis, quam funesta adducitur in discrimina! ipsius vita admodum mutatur. Nova haec vitae conditio magnos labores, magna onera importat. Spreto otio et commodis, uno officio eidemque gravissimo inhaerendum est: quidquid poësis, quidquid imaginatio exhibeat ad futuram rerum jucunditatem prorsus evanescat est necesse; tunc non sibi vivendum, sed aliis; una sit cogitatio alieni boni; tunc virtutum ope mens est firmanda, ne corruat; tunc constanti recte agendi proposito solidanda. Quidnam miserius medico, qui tam asperum iter ingrederetur, quin vires esset metitus suas, qui prima deceptione territus caderet animis, qui operae suae dignitate non teneretur, qui se non recrearet reficeretque una contemplatione purissimarum voluptatum, quae homini recte agenti serius ocius deesse non poterint?

Primum igitur sit medicus benignus, patiens, beneficus; verum debet esse ea pietate praeditus, ut mens non obnubiletur, nunquam rectus usus sensuum eum deficiat ne promptum opus retardetur, nec noceat expectanti subsidium. Ea sit pietatis vis, quae ubi opus est, sumat animos, voluntatem quodammodo ingeminet, in adeundo periculo vires adjiciat, det robur ad optima cogitanda, eligenda ac pertractanda, perferat dolentium querelas et gemitus, suavitate et blanditiis non careat ad spe destitutos animos erigendos, ita ut solator miserorum medicus habeatur. Est medici fatum versari semper inter aliorum miserias atque dolores,

suum moerorem cohibere ad alios sublevandos, laetitiam temperare suam, quae lugentium infortunio insultare videretur. Nulla dies est medico libera, nullum tempus quo possit ab officio suae artis discedere; nec suo parcitur somno. Esset ipse profecto miserrimus mortalium, nisi tam prompto ac indulgenti esset in egenos animo, ut solatium sibi praecipuum constitueret in aegris sublevandis. Nihil debet esse illi jucundius, nullum dulcius praemium, quam genitoris vitam servare frequenti familiae necessariam, filium e morte eripere senum parentum unicum subsidium, patriae utilem restituere civem, miserum vitae revocare casu infelici undarum impetu raptum, vel effectus terribiles cohibere veneni et ensis, instrumenta desperationis in semetipsam saevientis. Quomodo unquam humanus ac beneficus non erit qui artem exercet, quae usque ab ortu homini opitulatur, illi regionem habitandam designat, et aërem respirandum depurat; quae docet cibum, seligit potum et vestes, regit vitae consuetudines et oblectamenta; quae pia ac ipsis vitiis indulgens funestis eorum medetur effectibus; quae tuetur ac vindicat jura infantium per dedecus denegato matrum lacte, et adimit fasciarum corporis incremento atque motuum libertati impedimenta; quae cohibet ac temperat ardentes juvenum cupiditates, mala teterrima ostendens quae deinde sequuntur; quae industriae virilis aetatis moderatur, artibus, studiis, commercio; quae suas curas multiplicat, reparatque pro suis viribus damna morbosque insuperabiles senectutis; quae, postquam frustra omnia tentavit ut vitam servaret, cadavera tumulo condit et reliquias corporis tuetur, ne

detrimento sint iis qui supersunt? Humanitati medicinae quae mala classis frequentioris profundius scrutatur, et morbos ac necessitates, quibus vulgus opprimitur, penitus investigat, et inter divites atque pauperes fit mediatrix, debentur admirabiles Laemocomiorum, Nosocomiorum institutiones, tot pietatis asyla et publicae incolumitatis hospitia: et vos, miseri, quos temporum antiquorum ignorantia et barbaries asperrimae vitae, verberibus et ferreis vinculis damnabat, vos, caeco infortunio rationis lumine orbati, huic humanitati medicinae dies minus dolendos debetis, et tantas curas ac sollicitudines, quas tamen nunquam forsan poteritis rependere vel dignoscere!

Sit medicus rite educatus, prudens, rectoque animo. Nemo crebrius quam medicus inter casus, tempora, resque tam discrepantes versatur, tamque difficillimis urgetur eventibus. A cubiculo litterati et magistratus ad lectum rudis se confert; cum illis quodammodo assurgere debet, eorumque sibi parere existimationem, et fiduciam mereri; debet et ad hunc descendere, non fastidire sermonem, errores ferre atque condonare. Magnifica ingreditur palatia et cadentes inopis casas; sed aulae magnificentiam intret sine fastu, nec dedignetur paupertatis squallorem. Ab ambitione rapidae fortunae transeundum saepe est ad subitam sed honorandam egestatem; novo fulgore minime capiatur, novam illam ruinam pio obsequio prosequatur. Videt medicus virtutem ingemere derelictam, vitium triumpho et plauso donari; huic non blandiatur, illam non deserat, sed ejus lacrymas abstergat et jura defendat. Quovis sub adspectu habet

medicus quotidie humanae vitae spectaculum; a scenis ejus ridentibus repente ad omnium moestissimas evolat. Quid aget, nisi animum gerat educatione temperatum? quomodo inserviet temporibus tam variis, tam gravibus rerum necessitatibus?

Ut in caeteris societatis ordinibus, sic in medicorum institutione sunt mala quaedam, quae fortasse nequeunt tolli, quaeque sola prudentia et recta aequitate possunt evitari. Certant inter se studia utilitatis, meritorum distantia, ambiguitas et artis difficultas, partium adversae opiniones, ita ut simultates, invidia, discordiae, inimicitiae ex ipsis effluant. Quanto haec sint detrimento medicinae ad ejus dignitatem labefactandam, fidem demendam et observantiam, quid est quod ego demonstrem?

Sit medicus incorruptis moribus, et sibi commissa celet. Ut sibi fidem medicus conciliet in suae artis exercitio tam necessariam, opus est ut publica jure existimatione fruatur, quae nulla potest obtineri ratione sine excellenti probitate, vitaque ab omni labe sejuncta. Puritas ejus ab habitu etiam externo transpareat. Hinc vestitus nec ingrata negligentia fastidiat, nec vana elegantia exornetur, sed decens sit ornatus; compositus sit gestus; urbanitas quidem et gratia appareat, sed non nimis exquisitus tractandi modus; suaviloquentia utatur, nec unquam verbum effugiat vel minus honestum vel sensu ambiguum; nulla sit in opinionibus pertinacia, nec alienae sententiae nimis acris oppugnatio; aliorum factis nulla fiat censura, nulla adulatio; levitas, derisio, obtrectatio absint; modestia et obsequium fulgeat erga muliebrem sexum; tandem

medicus temperatus sit in omnibus, non curiose inquirat aliena, nec referat quod viderit aut audierit.

Est medicus in familiis particeps consiliorum et conscius, nulla illum latent privatae vitae secreta, nulla mysteria; illi cedit zelotypia et suspicio conjugum; ad illum refugit trepida matrum sollicitudo, et delicatus virginum pudor; evincitur coram illo suspiciosa senum diffidentia. Excipit quotidie medicus facta summo obruenda silentio, quaeque patefacta pace spoliarent domos; occultissima illi fatentur, ex quibus honor bonumque nomen saepissime pendent. Sedet medicus in judiciis cum magistratibus; dirigit aut deflectit potentem justitiae manum; crimen detegit ac condemnat, quod sine artis suae ope impune se se expediret; innocentiam declarat absolutamque dimittit, quam vanae rerum species falso damnabant. Quot lacrymae abstersae, quot beneficia a medicis, nullo teste, collata! Quoties ille discordias impedivit, spe destitutos erexit, pacem redonavit! Vos vero, miserrimae, quas caecus error vel improborum artes matres effecerunt, vos, inquam, modo per medicos asylum, quo excipiamini, invenitis; ibi tuto et latenter fructum male conceptum deponitis; ibi contemptum effugitis atque desperationem, quae tam saepe vos ad horrendum illud scelus impulerunt, quod mortem dat ut abscondat errorem qui dedit vitam! Quidquid medicus vidit, quidquid audivit, ejus in ore semper conticescet; obstrictus officii sui conscientia majorem ille se praebet omni sollicitudine, minis omnibus, omni periculo et violentia.

Excellat medicus abstinentia. Semper fuit medicis omnibus persuasum, sibi maximum esse honorem artis

exercendae etiam inter egenos, ubi, praeter animum gratum, nil aliud est sperandum, sed ubi utilius opus potest praeberi, et animi magnitudo atque humanitas plenius effulgent. Nullum sit discrimen inter splendidas vestes opulentiae, scrutaque sordida paupertatis; satis illi sit succurrere infirmis, omnes eodem et modo et cura pertractet, operam suam et studium aeque in singulos conferat secundum morbi vehementiam et subsidii necessitatem. Socialium conditionum discrepantiae ante medicum omnes evanescunt, morborum ipsi ratio est habenda, non fortunarum. Notetur hic etiam quod abstinentia medico recenti maximo est emolumento, quia patent ipsi facilius pauperis limina, hinc liberaliter ars exercenda frequentius, ut postea divitum aulas adscendat. Quae praeterea remuneratio valebit artem rependere, per quam servatur et redonatur homini bonum omnium praetiosissimum?

Honore prosequamur medicos, quorum plura sunt exempla, qui non modo arte aegris subveniunt, sed pharmaca etiam suppeditant, largaque manu teterrimum morbis omnibus malum inediam propulsant; honore prosequamur eos qui inter gravissimos vitae labores ad claram venerandamque senectutem devenere, et tamen, dum requiem atque otium jure conquirunt, auxilium, quod caeteris denegant, egentibus impartiuntur.

Fortitudine tandem animi polleat medicus, tenax sit propositi, omnia audeat perpeti, nullosque adversos casus pertimescat. Nec vero sit qui miretur, quod ego tales a medico dotes talemque virtutem requiram, si ejus vita tamen in solo suae artis studio atque exerci-

tatione versetur, si a domesticis parietibus ad aegri lectum accedat. Non eadem sit medici et militis fortitudo atque animi vis: miles in acie et pugna furit strenuus, caeco tunc impetu mortem oppetit et spernit, ambitione rapitur aut predae studio; sed illa vis animi sit medico, quae a conscientia nascitur muneris sui, quaeque consilio potens et constantia omnes exsuperat difficultates, omnia pericula. Quot nobis quamque splendida quotidie fortissimi animi testimonia exhibet medicina! Video juvenem aetate florentem, vitae roboris plenum omnes tamen delicias sibi denegare, frigidum cadaver diligenter rimari, textus anatomico cultro investigare, vitam e morte interrogare, ejusque legibus studere; video Chemiae cultorem inter suae scientiae mysteria ad naturam corporum perscrutandam incumbere, eorum formas mutare, modo dividere, modo illa conjungere, notare tranquille phaenomena, proprietates, usus; atqui fragilis quae cedat machina, calor uno increscens gradu, pars minima hausta, et mille eventus fortuiti omni temporis momento mortem illi valent afferre: quae major potest inveniri fortitudo? Chirurgus qui mutilat artus, qui carnes adurit palpitantes, qui firmo utitur brachio et prompto consilio inter miserandos patientis clamores ac cruentas aspergines vultum foedantes, antequam huic arti assuescat, quae obtruncat ut servet, quae destruit ut ad vitam revocet, quoties debuit horrescenti ac refugienti animo imperare, seque ipsum vincere?

Quis fortior medico, qui vim tentat pharmaci et veneni, ac periculis in semetipso eorum effectus experitur? Adit medicus gravissimo infortunio cumulatam

aedem; visitat jacentem lecto vultu deformi, languido intuitu, incertas aridasque tendentem manus; audit filiorum gemitus, sponsae desperata lamenta; dividit extemplo curas inter morientem, desolatamque familiam; illi extrema praebet subsidia, huic levaminis et pietatis alloquia. Ecquid erit hoç sublimius spectaculo?

Accede hospitia ferreis portis munita; audi ululatus, impia verba, cantus, querelas, preces, maledicta quae undique exsurgunt et obsurdant; contemplare varios adspectus omnesque terribiles, diversos incessus et habitus, minas impotentes, furorem in se saevientem, vultum animatum sed cogitationis expertem, immotum sine objecto obtutum, risum sine laetitia, speciem oris nil humanum exprimentis: invenies illic amorem deceptum, bona fortunae dissipata, religiosam superstitionem, lacerantem stimulum conscientiae, spem repente delapsam. Tot miseros familia deserit, omnes timent ac fugiunt: unus est medicus qui illos inquirat, excipiat, intelligat, edomet, imminuat angores, ipsorum valetudini studeat, et cum ipsis miseram agat vitam. Ad haec omnia libenter ferenda quam fortis animus, quanta virtus requiritur!

Patet vero amplissimus medico locus, ubi suarum virium potentiam explicet ac constantiam, si universa gens luctuoso ac publico morbo opprimatur, ferente morte funera ubique ac caedes. Ubi enuncietur pestem solitos terminos praetergressam, propiusque minitantem propagari, una metu caret medicina; ipsa statim furentem tentat procellam contundere atque extinguere. Cum publicis magistratibus convenit, consulit, proponit, decernit, munia omnigena non recu-

sat, summas accipit potestates, nationem universam in manibus tenet, eique moderatur. Proficiscuntur medici ubi periculum majus ad morbi naturam investigandam, populorum communicatio intercipitur, Laemocomia eriguntur, cives ad spem animosque revocantur. Quod si haec omnia non prosint, si funera incipiant, quis medicorum referat sollicitudines, operis assiduitatem, leges severissimas et ardua tentamina? Quis mihi pingat obstacula hinc inde erumpentia, reluctantia tempora et casus, falsarumque certamina opinionum? Terror, suspicio, desperatio omnia invadunt pectora; societatis franguntur vincula, amicitiae ac propinquitatis jura violantur ac dissolvuntur; inultum spatiatur crimen, justitia ipsa tristissimis his diebus obmutescit. Vigil vere medicus et vinci nescius meliora providet, auxilia largitur, colligit aegrotantes, cadavera tumulat, impavidus morti occurrit, volensque bono societatis se vovet.

Quibus tandem laudibus ac praeconiis celebrari merito posset vir ille tanta fortitudine praestans, qui ad magnam contagii quaestionem resolvendam indusium sumpsit sudore imbutum aegri vix exanimati, in ejus se lecto collocavit? ille qui pestiferam bubonum materiem suo corpori inseruit?

THESES DEFENDENDÆ

1. In pneumonitide delirium non est semper signum mortale.

2. Rationi non oppugnat ab eodem remedio, in eodem individuo, sub ipsa adplicatione diversos prorsus effectus posse derivare.

3. Effectus medicamentorum in organismis sanis satis exacte possunt notari, non sic in morbosis.

4. Therapia revellens in acutis phlogosibus saepe incerta et periculosa.

5. Indoles inflammationis, quamquam formae et characteres non essentiales sine numero possint variare, debet esse una et immutabilis.

6. Numericis notis in medicina non nimis fidendum.

7. Cognitio doctrinae phrenologicae medico utilis, populo damnosa.

8. Chemia animalis impotens conatus.

9. Numerus summorum virorum in medicina non procedit ratione directa cum numero medicorum.